

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

Clarissimo & integerrimo uiro. prudentia & uirtute praestanti, domino
Michaeli Meyenburg, amico suo charissimo, Philippus Melanchthon S. D.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

de prouidentia ita penetravit in animū, ut diceret, fuisse in corde suo diuinam quandam flammam subito, cum hoc dictū legeret: ac postea mediocriter quieuit. Nec uerò dubitamus, quin tibi exercitia fidei talia & nota et usitata sint. Quare speramus, te intuētem in uniuersam doctrinam cœlestem, repugnare dolori: et tecum et cum tuis liberis Deum oramus, ut tibi adsit, & te regat et seruet incolumē. De alijs disputationibus nihil nunc scribendum esse duximus: & quidam inclementius nobiscum agunt, cum quidem iniuriam nostris Ecclesijs faciāt, & non ignorent nos de rebus magnis certamina sustinere acerrima. Bene uale. Die 10 Iulij, Anno Domini 1549.

Clarissimo & integerrimo uiro, prudentia & uirtute præstanti, domino Michaeli Meyenburg, amico suo charissimo,
Philippus Melanchthon

S. D.

Hanc epistolam scripsi die festo, quo memoria publicè ascensionis filij Dei, quam multitudo magna eius temporis spectauit oculis, celebratur. Cogitabam igitur de dulcissimis consolationibus, quæ eo die leguntur. Sed et filius Dei ad dextram æterni Patris, dans dona hominibus. Dabit igitur & nobis dona, inuocantibus eum: descendet, & seruiabit Ecclesiam

clesiam suam. Mitto igitur partem mea supellecti-
lis, quam queso ut in aedibus uestris reponi sinatis:
uel si quod mihi cōducium est tuguriolū, eō trans-
ferri mandate. Bene & feliciter ualete. Die ascen-
sionis filij Dei in caelū, Anno 1547.

Venerunt huc duo boni & docti uiri ex Flan-
dria, qui narrabant se propter pietatem & studiū
doctrinae Evangelicae deseruisse uitam monasticā,
cum fuissent Franciscani. Erant autē nudi & egeni:
quare eis aliena liberalitate opus est. Si lingua su-
periore utcumq; loqui possent, ambobus hic condi-
tiones in aliquibus Ecclesijs curassemus. Sed quia
eorum linguam populus nō intelligit, alterum tan-
tum retinuimus, cui uictum in Academia curabi-
mus. Alterum ad uos mittimus: teq; propter Chri-
stum rogo, ut eum excipias, & ei aliquē nidum cu-
res: poteris, opinor, in uestris Ecclesijs eius indu-
stria & labore uti. 15 Septembris, Anno 1548.

D. Philippo Gluēspies, de studijs optimè
merito, Philippus Melanchthon
S. D.

Tanta fuit uirtus, tanta prudentia, & in omni
officio moderatio, ac temperata humanitate graui-
tus in socero tuo, ut suspicerent & amarent eum
omnes boni, quibus notus fuit. Ego itaq; etsi pro-
pter beneficia quae in me contulit, plurimum de-
bebam:

I, 127.
De morte Jo.
annis Reimick
cuius Mansfeld
donsis.